



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacrae Theologiae Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiae Ad Mentem Scoti Cursvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

4. An natura vniuersalis debeat vere posse esse in pluribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

& non in negatio; quia vniuersaliter quotiescumq; aliqua negatio tollitur, debet tolli per affirmationem, & non per aliam negationem ipsi oppositam; & hinc communiter admittitur quod non detur negatio negationis tanquam quid per se oppositum ipsi, de quo alias.

Dixi: *respectus similitudinis aptitudinalis*, & non actualis, quia semper natura habet aptitudinem vt sit in multis modo predicto, est enim proprietas ipsius: sed non semper habet, aut necesse est vt habeat similitudinem actualem, tunc namque tantummodo habet similitudinem actualem, quando alia natura similis ipsi actu existit, sed non est necesse, vt semper actu existat alia natura similis vlli naturæ; & de facto non existit alia natura similis naturæ Solis.

51 *Obiicies*: si illa aptitudo consisteret in respectu similitudinis aptitudinalis, sequeretur quod non esset distincta formaliter ab unitate naturæ: sed hoc est falsum; quia sic frustra poneretur in definitione vniuersalis simul cum unitate: ergo non consistit aptitudo naturæ in illa similitudine aptitudinali. Probat sequela maioris, quia unitas naturæ consistit in illa similitudine.

Quomodo distinguatur ab unitate naturæ.

Duplex unitas naturæ vniuersalis.

Respondetur distinguendo maiorem: sequeretur quod non esset distincta ab illa unitate naturæ, secundum quam dicitur quod sit vna natura in pluribus indiuiduis, concedo maiorem; ab illa unitate quæ quilibet natura habet secundum se, nego maiorem. Itaque duplicem possumus considerare unitatem in natura vniuersali, vnam secundum quam est vna in se, & quidem non vna per accidens, sed vna per se, & hæc unitas competere naturæ, etiam si non esset possibile aliud indiuiduum quam vnū tantum eiusdem naturæ, & propterea non est unitas coincidens cum aptitudine hac, nec cum similitudine aptitudinali. Hæc autem est unitas quæ ponitur in definitione vniuersalis simul cum aptitudine, siue sit de essetia eius, vt est vniuersalis formaliter; siue non sit, sed conditio tantum necessario requisita ex parte fundamenti (de quo parum est curandum) & consequenter non superflue ponitur in definitione vniuersalis simul cum aptitudine. Alia est unitas naturæ, secundum quam dicitur quod natura vnus indiuidui est vna cum natura alterius indiuidui, & hæc coincidit cum illa aptitudine, & superflue poneretur in definitione vniuersalis simul cum aptitudine.

QVÆSTIO IV.

An natura vniuersalis debeat vere posse esse in pluribus.

52 *Thomistæ* quāplurimi duplicem considerant naturam vniuersalem, vnam quæ sit vniuersalis ex parte rei & intellectus, vt est omnis illa natura, quæ potest habere à parte rei plura indiuidua, verbi gratia, natura humana, natura equina, natura Solis, quæ licet à parte rei de facto non habeat plura indiuidua, potest tamen de potentia Dei absoluta habere plura indiuidua. Alia secundum ipsos datur natura vniuersalis ex parte intellectus tantum, quæ scilicet, licet non possit habere etiā de potentia Dei absoluta plura indiuidua, tamē ex parte intellectus, quatenus secundum se concipitur conceptu imperfecto, non repugnat ipsi habere plura indiuidua; conformiter ad quam doctrinam dicunt, quod quamuis in ipsorum sententia natura Michaëlis & cuiuslibet Angeli non possit multiplicari numero etiam de potentia absoluta, adhuc tamen est verè natura vniuersalis metaphysicè, non quidem in re & intellectu. Ita *Caietanus cap. de specie, & tract. de ente & essetia cap. 4. Sanch. in Logica q. 56.* & plures alij, quos citant & sequuntur *Complutenses disp. 6. q. 4.* Oppositum autem huius sententiæ tenent cum Scotistis recentiores ferè omnes, & nominatim *Auerſa q. 8. sect. 4.*

CONCLUSIO.

53 *Ad naturam vniuersalem requiritur aptitudo ad existendum in multis realiter & à parte rei.* Hæc est cum communiori sententia contra Thomistas. *Probat* primo, quia quandoquidem Philosophus definiat naturam vniuersalem esse aptam existere in pluribus simpliciter, & posse predicari de pluribus simpliciter, id potius debet intelligi de aptitudine reali, quā de aptitudine illa intellectuali; ergo non sufficit ad naturam vniuersalem,

prout definita est à Philosopho, aptitudo illa intellectualis tantum.

Probat secundò, quia si sufficeret aptitudo intellectualis tantum, sequerentur duo absurda: primum est, quod natura diuina esset vniuersalis metaphysicè: secundum, quod species infima esset genus metaphysicum: ergo non sufficit talis aptitudo. Probat sequela, quia nihil impedit quo minus natura diuina sit vniuersalis metaphysicè, nisi quod non possit à parte rei multiplicari numero, & nihil impedit quo minus species infima sit genus metaphysicum, nisi quod à parte rei non possit multiplicari specie; ergo si non requiritur illa multiplicatio à parte rei, potest natura diuina esse verè vniuersalis, & species infima esse genus metaphysicum.

Aduersarij negant antecedens huius probationis, & dicunt rationem cur natura diuina non sit vniuersalis, nec species infima genus, esse quod natura diuina nequeat concipi conceptu etiam imperfecto, quin concipiatur vt indiuidua ac inepta esse in pluribus, & quod species infima nequeat concipi, quin concipiatur vt immultiplicabilis specie.

Contra primò: ideo natura diuina debet necessariò concipi vt immultiplicabilis numero, & species infima vt immultiplicabilis specie, quia verè & realiter à parte rei sunt sic immultiplicabiles, etiam in ordine ad quamcumque potentiam; ergo omnis natura, quæ est à parte rei sic immultiplicabilis numero, nequit concipi, quin concipiatur vt sic immultiplicabilis; aut saltem nequit concipi vt multiplicabilis magis, quam natura diuina & species infima; ergo nulla talis potest esse vniuersalis verè magis, quam natura diuina, aut magis quam species infima potest esse genus.

Contra secundò, quia si potest natura aliqua immultiplicabilis numero à parte rei, vt verbi gratia, natura Michaëlis (in sententia Thomistarum, de cuius veritate hic non est curandum) concipi tamen conceptu imperfecto, in quo non inuoluitur immultiplicabilitas eius, & secundum quem consequenter ista natura est ex parte intellectus indifferens ad multiplicationem, nulla prorsus est ratio cur species infima, verbi gratia humana, licet à parte rei sit immultiplicabilis specie, non possit tamen concipi conceptu imperfecto, in quo non inuolueretur illa immultiplicabilitas, & secundum quem consequenter esset indifferens ex parte intellectus ad multiplicationem specificam; ergo si illa natura est verè vniuersalis, etiam species illa infima est verè genus, non quidem ex parte rei & intellectus, sed ex parte intellectus tantum.

Confirmatur hoc, quia quando concipio naturam humanam, vt est animal rationale præcisè, non considero ipsam vt immultiplicabilem formaliter; ergo concipio ipsam conceptu, in quo non inuoluitur immultiplicabilitas; & tamen non propterea potest dici, quod sit verè genus, quia à parte rei est immultiplicabilis generice; ergo quamuis conciperem naturam Michaëlis conceptu imperfecto, in quo non inuoluitur eius immultiplicabilitas, non propterea debet dici vniuersalis, si à parte rei sit immultiplicabilis.

35 *Obiicies*: Natura specifica Michaëlis verbi gratia, concepta, vt est principium propriarum operationum eius, & vt distincta à natura Gabrielis, cæterisque distinctæ speciei, non concipitur necessario vt singularis, & vt sic concepta est determinabilis per singularitatem, quamuis vna tantum esset possibilis; ergo vt sic concepta haberet rationem vniuersalis.

Confirmatur, quia vt sic concepta predicatur formaliter de Michaële; sed non vt singularitas eius, nec vt genus, nec vt proprium, nec vt accidens: ergo vt species, & consequenter vt vniuersale, quia omnis species est vniuersalis.

Respondetur, distinguendo antecedens pro secunda parte: est determinabilis determinabilitate requisita ad vniuersale, nego antecedens; alia determinabilitate, quæ consisteret in coniungibilitate eius cum singularitate, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Et si quærās, quænam determinabilitas requiritur ad vniuersale? *Respondetur* esse determinabilitatem præsupponentem,

nentem, quod res determinabilis magis late pateat quã determinatum, sicut animal magis late patet quã homo, & homo quã Petrus: certum est autem naturam Michaëlis specificam non magis late patere, quã ipsum Michaëlem, in sententia aduersariorum, quã modo supponimus, licet sit falsa:

Nō omne predicabile de aliquo debet predicari de illo ut ali- quid ex quinque predicabilibus.

Ad confirmationem respondet negando consequentiã; neque enim necesse est ut quicquid predicatur de aliquo formaliter, predicetur formaliter de ipso per modum alicuius ex quinque predicabilibus Porphyrianis: nam quando aliquis concipit animal, ut principium sentiendi, & concipit ipsum inesse Petro, non concipiendo ipsum ut communicabile pluribus speciebus, aut ut incommunicabile, profecto non predicatur ipsum de Petro ut genus, aut species, aut differentia, aut proprium, aut accedens: sufficit ergo quod omne quod predicatur formaliter de aliquo, possit predicari de ipso, vel ut quid singulare, vel sub aliqua ratione vniuersali ex illis quinque rationibus: hoc autem esset verum in proposito, quia illa natura posset concipi ut immultiplicabilis, & ut sic predicari de Michaële, ut singularis natura, prædicatione formæ constituentis.

Respondet per se secundo negando secundam consequentiã: quia licet predicaretur, ut species, non tamen ut vniuersalis, quia si daretur aliqua natura essentialis, quæ non esset multiplicabilis, illa natura posset vocari species, & tamen non esset vniuersalis. Quod si daretur aliqua autoritas aut ratio, quæ probaret omnem naturam specificam debere esse vniuersalem, id non proderet aduersariis; quia ex illa ipsa ratione aut autoritate probaretur naturam Michaëlis esse vniuersalem, atque adeo multiplicabilem numero, & qui id negaret, ut negant Thomistæ, opponeret se illi rationi, aut autoritati.

QVÆSTIO V.

An dentur naturæ vniuersales metaphysicæ.

57. **H**æc quæstio ex dictis faciliem habet solutionem, & propterea data opera hucusque differenda videbatur. Pro clariori tamen eius notitia aduertendum est quod duplicem possit habere sensum: vnum, ap naturæ vllæ dentur à parte rei, quæ vere denominari possint vniuersales in essendo: secundum, an, ut vniuersales formaliter, dentur à parte rei independenter ab operatione vlla intellectus, seu an ipsa vniuersalitas detur à parte rei: & loquimur iam de vniuersalitate metaphysica.

Prima sententia.

Circum primam partem quidam ex antiquis Philosophis, ut *Cratylus* & *Hesiodus* existimauerunt nō dari vllō modo rem aliquam aut naturam, quæ vere denominari possit vniuersalis in essendo. Alij verò ut *Plato* (si tamē non imponat ipsi *Philosophus*, ut putant nonnulli) concedunt dari naturas vniuersales, sed illas volūt esse extra singularia, & ab illis distinctas realiter: & quidē à priori sententia, non longē videntur recedere *Nominales*; dū aliud vniuersale negant, nisi quod est vniuersale in representando, ut vox *homo* v. g. aut conceptus formalis, quo concipimus hominem. Communis tamen sententia est Peripateticorum omnium, exceptis *Nominalibus*, dari in indiuiduo quolibet reali finito naturam, quæ vere denominari possit vniuersalis, & sit identificata illi indiuiduo. Et sane capiendū naturam vniuersalē, prout nos explicuimus ipsius unitatem ac aptitudinem quæstionibus præcedentibus, nec ipsi *Nominales* recederēt ab hac sententia, quia, ut paulo ante animaduerti, eatenus negauerunt dari vllam naturam vniuersalem in essendo, quatenus intellexerunt per naturam vniuersalem in essendo aliquam vnā positū naturam, quæ eadem positū secundum se formaliter posset vere & positū inexistere multis: & in hoc sensu verum est non dari naturam vllam nec existentem actu, nec possibilem, quæ aut sit à parte rei, aut vlla ratione denominari possit vniuersalis; vnde patet non esse tam absurdam eorum sententiam, quã communiter existimatur, nec inter *Nominales* aliam esse cum alijs Doctoribus, quã de nomine controuersiam.

Secunda.

Tertia.

Circa secundam partem huius quæstionis communis sententia tenet non dari à parte rei naturā, quæ sit formaliter vniuersalis metaphysicē, licet detur natura vniuersalis metaphysicē fundamentaliter loquendo.

CONCLUSIO I.

58. **Datur à parte rei independenter ab omni operatione intellectus natura, quæ vere denominari possit vniuersalis in essendo.** Hæc est iuxta communem sententiā cum *Doctore 2. dist. 3. quæst. 1.* & *D. Thoma lib. de ente & essentia c. 4.* contra illos antiquos, & contra *Nominales* etiam quantum ad nomen. Probatur breuiter ex dictis, quia per naturam, quæ denominari possit vere vniuersalis, nihil aliud intelligimus, quã naturam per se vnā, quæ possit esse in pluribus indiuiduis cum sui multiplicatione, quatenus potest habere plures naturas sibi similes in prædicatis essentialibus, sed est certum non implicare huiusmodi naturam, imo in quolibet indiuiduo creato, saltem materiali, dari de facto huiusmodi naturam, & nominatim in Petro, & Paulo, Bucephalo, &c. ergo dantur naturæ, quæ denominari possunt vniuersales. Nolo uti pluribus rationibus ad probandam rem clarissimam, & de qua hoc modo explicata non potest esse controuersia. Quod autem nihil aliud significetur per naturam vere vniuersalem, quã natura huiusmodi, non alia indiget probatione, quã communi Doctorum sensu sic accipientium naturam vniuersalem in essendo: à quo male recesserunt *Nominales* sibi statuentes aliam acceptionem vniuersalis in essendo, & excitantes quæstionem de nomine.

Datur à parte rei natura quæ vere denominari possit vniuersalis in essendo.

CONCLUSIO II.

59. **Non datur vlla natura realis extra singularia seu ab ipsis realiter separata.** Est cōmunis contra *Platonē*, qui supponitur tenuisse oppositū, quamuis ab aliquibus à tali errore vindicetur, nec reuera sit verisimile virum doctissimum sententiam tam improbabilem tenuisse.

Non datur natura vlla extra singularia.

Probatur conclusio primò, quia nullum est indicium, nec vtilitas istarum naturarum separatarum à singularibus, ergo non sunt asserendæ.

Dices vtilitatem ipsarum esse quod sint æternæ. Contra: nulla creatura est æterna quoad aliud esse, quã esse possibile: sed illæ naturæ quoad esse possibile possent esse æternæ, quamuis essent identificatæ singularibus, sicut & ipsa singularia sunt ab æterno possibilia: ergo ob æternitatem, quam habent, non debent dici distinctæ realiter à singularibus.

Probatur secundo: si detur natura aliqua separata à singularibus, verbi gratia, natura humana, vel illa natura est diuisibilis in plura cum multiplicatione, vel non est: si non est, ergo est singularis, nihil enim intelligimus per naturā singularem, quã naturā sic indiuisibilem, & sic non datur natura vniuersalis, quæ realiter nō sit singularis, quod est nostrum intentum: si est diuisibilis aut est diuisibilis in plures partes integrantes, & hoc non impedit quominus sit singularis, Petrus enim, qui est singularis, potest diuidi in plures partes tales verbi gratia, in manus, pedes, caput: aut est diuisibilis sic, ut ipsamet eadē totaliter positū sit in pluribus indiuiduis, & sic nō multiplicaretur in illis; sed esset eadē numero singularis natura in pluribus indiuiduis, & cōsequenter nō esset diuisibilis, sicut nec vnum corpus positum in duobus locis esset diuisibile, aut anima vna informās plures partes corporis est diuisibilis formaliter loquendo.

Probatur tertio: Non datur vlla natura humana realis, nisi illa quæ predicatur de Petro & Paulo, ac reliquis indiuiduis humanis, dum dicitur quod Petrus sit homo, & Paulus sit homo: sed nulla natura realiter distincta ab omnibus illis indiuiduis sic predicatur de ipsis, sed potius natura humana ipsis identificata realiter; ergo non datur natura illa separata realiter ab indiuiduis.

Omitto argumentū cōmune: nimirum quod quicquid creatū existit realiter debet esse productum per actionem singularem, & consequenter esse singulare: quia qui teneret dari aliquid reale non singulare productum à Deo, diceret consequenter actionem, per quam produceretur, non esse singularem, sed vniuersalem, nec est

Probatio communis reiectur.

H 3 magis